

h. m. II, 360a
h. 70, 10.

X 2400723

II R
45

DISSERTATIONEM INAUGURATIVAM
DE
ARTIFICIO
OMNES IN PRAXI, UT
AIVNT, EVENIENTES CASVS RITE
ENODANDI, IMO ET PROPRIO ILLOS MARTE
FORMANDI, TOTAMQVE ADEO IVRIS
ILIADA NVCI VELVT INCLVDENDI

IDQVE
SOLA OPE FORMVLARVM QVA-
TVOR, DICTORVM ITA CONTRACTVVM
INNOMINATORVM REGVLARIVM, OCCASIONEQVE
ILLORVM, QVAE MAGNO NVMERO SVB
IIS LATENT

PERMISSV
INCLYTI ICTORVM ORDINIS LIPSIENSIS
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI

D. XXX. OCTOBR. A. MDCC XXVII.
PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT

FRANCISC. GVILIELMVS ROMANVS
LIPSIENS.



LIPSIAE
LITERIS IMMANVELIS TITII.



Handwritten notes in the top right corner, possibly including a date or reference number.

LIBRARY
UNIVERSITY OF
SACSEN-ANHALT
MAGDEBURG



*ILLVSTRISSIMO EXCELLENTIS
SIMOQVE DOMINO*

D O M I N O

IACOBO HENRICO

S. R. I. COMITI

DE

FLEMMING

**SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
POLONIARVM REGIS AC PRINCIPIS ELE
CTORIS SAXONIAE IN MAGNO LITHVANIAE DV
CATV STABVLI PRIMARIO COMITI COPIARVM
REGNI POLONICI AD MOREM GERMANORVM IN
STRVCTARVM PRAEFECTO GENERALI EXERCI
TVS SAXONICI ELECTORALIS CAMPI MARESCHAL
LO SECRETIORIS CONCLAVIS MINISTRO DIRECTO
RI CONSILIARIO INTIMO ET CONSILII MILITARIS
PRAESIDI DVARVM LEGIONVM DVCI IN POMERA
NIA VLTERIORE ET PRINCIPATV CAMMINENSI
MARESCHALLO HEREDITARIO DOMINO CASTREN
SI IN MARTENTIN ET BOECK ORDINIS MELITEN
SIS DESIGNATO COMMENDATORI ORDINVM AQVI
LAE ALBAE ELEPHANTINI ET S. ANDRAEAE
EQVITI DYNASTAE IN BVRGSHVDNGEN
VVOLCZYN ET RELIQVA**

**DOMINO MEO LONGE GRA
TIOSSISSIMO**

INSTITUTIONS KÖNIGLICHEN

D O M I N O

I G O R O H E R I O

S E R V I T

F I E R I O

S E R V I T I O R I U M

...

...

...

...

...

...

...

...

...



ILLVSTRISIME ATQVE EXCEL-
LENTISIME COMES,
DOMINE MVLTO GRATIO-
SISIME,

SVAE ILLVSTRIS-
MAE EXCELLEN-
TIAE *summa prorsus in
Remp. togatam ac sagatam
merita, numero innumera,
mirari magis vniuerso cum orbe Martiali
atque erudito me decet, quam committere,
vt illa haud condigne a me depraedicaren-
tur vnquam. Adeo namque magnificenter,
vt heic loci sola in censum vocem publica
amoris Tui in iustitiam specimina, cura Tua
in euehenda aequi rectique promptiori admi-
nistratiōe omnium oculis sese patefecit, vt
Mandata de amicabili compositione Duel-
lisque Regia duo priora in documentis, or-
dina-*

dinationi Processus, quem aiunt, sub n. I.
et II. affixis, TVO ILLUSTRISSIMO
NOMINE subsignata exsplendescant, irre-
fragabili omnibus indicio, Tuo, si propter
hominum litigandi peruerseque bellandi
prurimum id liceret, arbitrato omnem ad Ga-
ramantas atque glaciale Oceanum rele-
gatam iri falsam altercationem. Cui proin-
de, ob maiestatem simul Iustinianeam ma-
teriaae, magis et merenti, et eminenti, lineas
illas, quae de Iurisprudencia quoque theo-
retica in viam paulatim reducenda, et ad
fontes suos veros redigenda methodo, ab
hactenus consuetis aliquantisper diuersa,
agunt, dare, dicare atque dedicare potuis-
sem, quam Tibi, Literate Heros Indulgen-
tissime, qui ex utroque Caesar es, ita vt sub
Augustissimo Legislatore Saxonico Nostro
Ministerii Tui Supremi sollicita admini-
stratio sperare nos iubeat, illud forte ad-
huc auspicio Tuo in lucem proditurum esse,
quo iam octodecim a Seruatore nato seculis
caremus, corpus iuris puta, vt singulari hac
compellatione superbit in l. un. pr. C. de R.
V. A.

V. A. accuratum simul ac concinnum? At
absit plura, quae de hac intentione Tua, ce-
dro digna, ad aures haud ita pridem meas
peruenerunt, heic praefari, cum mihi po-
tius in comperto sit, omnes laudum prolo-
gos, quos sine pari promereris, Te tamen
nauseare, si potissimum intempestive, et actu
nondum plene parato, in scenam illae con-
descendant. Tacito quapropter magis sub
pectore volvo singula, quam ut oculos Tuos,
nonnisi ad magna natos, leuidenti hoc scri-
bendi genere longius conturbem. Si vero
a Gratia Tua, COMES ILLVSTRIS-
SIME, id solum obtinuerō, ut unico saltem
semiborulae spatio vultu fugitiuo disserta-
tionem hanc percurrere digneris, plus me
eo ad Tui excitationem acquisiturum con-
fido, quam si Te Maecenatem infucatum
Horatiana adulatione prosequi misere ten-
tarem. Faxit interea Numen supremum, ut
AVGVSTVS sub Quo flores, a Regina
Sua incomparabili tristissimo nuper fato se-
paratus, nobis eo diutius reddatur, quo ci-
tius morbo, cum Tuo in idem tempus reci-
den-

dente, et coronatis hoc in anno praecipue
exitiali, Maiestas Sua, omnium fidelium
subditorum intensissimo cum dolore, rumpi
ab iis videbatur. Corroboret Deus Ter opti-
mus Terque Maximus, vt facit, Domum
Suae Maiestatis Regiam per Principis Ele-
ctoralis vereque Regii, nec non Coniugis
Eius Imperatorio Stemmata quam maxime
dignae, prolem Serenissimam. Te vero,
COMES ILLVSTRIS-SIME, qui Totius
Huius Augustae Domus venerator perpe-
tuus existis, seruet Illud Ipsum summum Nu-
men Tua cum Principali consorte, quae in
senecta, prope dixissem! Tua pignoribus
vtriusque sexus Te exhilaravit mire, ad
seros vsque annos tali cum felicitate, qua
maiolem Vobis vtriusque apprecari ne-
queat vllus, quam

**TVAE EXCELLENTIAE IL-
LVSTRIS-SIMAE**

Scrib. Lips. Cal. Octobr.
M DCC XXVII.

obsequentissimus atque deuotissimus cliens
FRANCISCVS GVILIELMVS ROMANVS.



L. B. S.

Dum animo sedet, omnes euenientes casus, vt audiunt VLPIANO in *L. 26. §. 9. D. ex quib. caus. mai. XXV. ann.* cogere in solas quatuor formulas contractuum, nomine regulari destitutorum, et tamen ex causa, seu synallagmate, h. e. actuali praestatione dantis, vel facientis, iuxta *l. 7. §. 1. et 2. D. de pact. valorem suum obtinentium*, quilibet nobiscum comprehendet, nos haud stricto sensu formulas has, sedem suam in *L. 5. §. 2. D. de P. V.* habentes, sumere, et eas ad vnicos horum contractuum cancellos restringere posse, sed illas potius tam lato ambitu a nobis donandas esse, vt non solum includant casus, (seu facta, vt dicuntur in *L. 11. §. 2. D. de minor.* seu species, scilicet facti, iuxta *L. 23. §. 4. D. ex quib. caus. mai.* aut tractatus, secundum *L. 5. pr. et §. 4. D. de P. V.*) ordinarios reales, ex iure,
A quod

quod aiunt, in re dimanantes, et personales, ex iure sic dicto ad rem, qua promissionem, qua maleficium, deriuandos; verum etiam requiri, vt formulas istas protrahamus ad casus illos extraordinarios, qui ortum suum debent aliis quibusdam modis, variisque causarum figuris, vt hae obligandi rationes superadduntur reliquis in §. 1. I. de act. et L. 1. pr. D. de O. et A. recensitis, qualesque variae iurium figurae, alique obligationum modi, sunt status, t. t. D. de stat. pers. detentio rei, cuius nostra interest, t. t. D. et C. ad exhib. detentio rei furtivae figillatim, t. t. D. de cond. furt. factum commodi impeditiuum, t. t. D. de usur. et fruct. et caus. et omn. acc. et mor. intermissio solutionis, t. t. C. de non num. pec. precarium, t. t. D. et C. de prec. diffamatio L. 5. C. de ingen. manum. cunctatio actoris futuri, l. 28. D. de fidei. nullitas, t. t. D. quae sent. sine app. rescind. et C. quand. prou. non est nec. longaque plures omni ex iure, nullo penitus excepto, huc trahendae casuum modificationes. Quam per longam formularum extensionem nobis eo minus quis sinistre interpretabitur, quo magis ad iussum L. 17. D. de LL. vis ac potestas legum adeo larga est, vt omnes illae acceptiones ex legibus esse dicantur, quae earum comprehensioni tacite subsunt, l. 6. §. 1. D. de V. S. j. L. 13. D. de LL. quale quid in primis cum duobus dandi faciendique vocabulis in toto iure accidit, sic vt, testante illud subsequenti tractatione tota, nihil illis possit effingi vniuersalius. Vnde haud immerito in sinu gauisi sumus, cum in *Illustr.* nostri conterranei, nunc B. G. G. LEIBNITII, literas incideremus, quas A. 1708. scripsit ad Rintelensem Ictum, H. E. KESTNERVM, quasque hic attexuit suo A. 1710. publicato discursui
de

de principiis Iurisprudentiae in pauca capita redigendis, quippe in quibus ita LEIBNITIVS rem edisserit: *Se aliquando tabulas quasdam breuissimarum legum conce-
pisse animo, ad speciem Decemviralium Romanarum, in
quibus simul eluceret aequitas et comprehensio, omni ca-
suum varietate, per rationum amplitudines, tanquam
indagine, cincta, ut nullum esset allegationis, i.e. actio-
nis, exceptionis replicationisque cuiuscunque caput, cu-
ius fundamentum in iis, tanquam in albo praetoris, di-
gito monstrari non possit: Etenim, quamquam spes, a
summo hocce viro facta, fore, ut has tabulas aliquando
perficeret, quae essent specimen futurae, ad posteros, quo
excitari ad meliora possent, decollavit, dum fata vota
eius anteverterunt; attamen confirmavit illo ipso nos
mire in defendendis, IASONE atque NEGVSANTIO,
ad quos procul dubio is respexit, quorumque mentem
nos longa serie in totis lineis huius dissertationis no-
strae et recensebimus, et adstruemus in eo, quod super-
esse omnino videantur modi, quorum ductu loco XII.
Tabularum quatuor fortassis solum formulae sufficiant,
quibus omnia negotia exprimantur, quae in iure diui-
no et humano, eoque vel publico vel priuato, ciuili,
canonico, alioque quocunque omnium populorum a
primordio rerum vsque ad finem seculorum euenerunt,
atque euentura sint, istoque ipso IVLIANI sententiam ve-
re in aprium poni, qua in *L. 10. D. de LL.* dicitur: *neque
leges, neque Senatus-Consulta ita scribi posse, ut omnes
casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, sed
sufficere ea, quae plerumque accidunt, in iis contineri:*
scilicet a posteriori, ut cum schola loquamur, nullum re-
periri hominem, qui omnes omnium circumstantiarum*

complicationes possibiles actu exercito in scenam producat, *a. l. 12. D. de LL.* eoque respectu verum esse brocardicum istud: *minimam circumstantiam totum variare ius*: ast actu signato et a priori talem omnium casuum comprehensionem indicari non posse, vnusquisque nobiscum, vt falsum, deprehendet, qui illa, quae in ipso dissertationis nostrae circuitu occurrunt, iuste ponderabit, et cum MENOCHIO in *proem. Lib. 1. n. 1. de arbitr. iud.* perpendet: Non expectandum esse legislatori, dum casus emergit; sed maioris esse prudentiae, leges quam maxime sine vitiis ponere, quam restrictionem, aut correctionem fortunae committere, vt taceatur, rem iudiciariam in qualibet republica hoc constitutam esse melius, quo minus sit in arbitrio iudicis. Optandum interea esset, vt MENOCHIVS quoque ipsa re praestitisset, in quod tam profunde sua speculatione penetrauit. Id quod cum in desideratis adhuc habeatur, permoti nos fuimus, non spe vanae alicuius laureolae, sed publicae vtilitatis causa, vt schediasmate hoc inaugurali artificium istud demonstraremus, innixi per bello isti CICERONIS loco, quo in *lib. 1. de LL.* ait: *ita complectenda tota causa vniuersi iuris est ac legum, vt in paruum quendam et angustum locum concludatur.* Faxit Deus feliciter!

SVMMA-

SVMMARIA.

Recensio epitomarum augmentationumque iuris nonnullarum, nec non electio via inter has mediae, una cum determinatione occupationis, ad thema praesens mihi subnatae, per duos loca, IASONIS puta atque NEGVSANTII, calculo vniuscuiusque digna, non obstantibus stricturis MOLINAE, SCHILTERI nec non STRYCKII in contractus innominatos ipsos.

I.

Entia praeter necessitatem multiplicanda non esse: canon audit, qui omnium calculum promeruit dudum, ansamque olim dedit ICTo in nostratibus summo, vt quinque iuris in re species ad vnam inaugurali sua dissertatione incomparabili, redigeret. At nemo tamen, prout spero, facile etiam inficiabitur: illa ipsa entia indispensabili nexu adaugenda esse, vbi vilitas quaedam conspicua id postulat, tanquam e quo fonte fluxit, quando tot alii ICTi grauissimi, vt duos saltem subinnum, seruitutes verbi causa apud Romanos in solo patiendo consistentes peregregiis suis operibus ac Disputationibus ad faciendum quoque penes Germanos extenderunt. Licet autem horum vltra sortem meam quam maxime positorum Virorum et epitomes, et augmenta, mea facere non ausim, licebit nihilofecius mihi, via inter laudatas velut media incedere, qua scilicet entia a me nec contrahuntur, nec multiplicantur, sed in suo generali statu relinquuntur, illo saltem iis speciatim euoluto, quod iamtum in illis existit, ast copiam sui hastenus nondum omnem in modum nobis fecit. Etenim, vt clarius rem eloquar, cum nupera dissertatione mea de eo, quod in iure dici potest vacuum, tacite quasi in-

uitarer, vt in eo detegendo explicandoue paratum me
 fisterem, si quid tale in illo reperirem, quod vires in ani-
 maduertendo meas haud supergrederetur, accidit mihi,
 vt inter legendum offenderem illustria duo de contra-
 ctibus innominatis loca, quorum prior erat IASONIS,
 ad L. 5. D. de P. V. Vbi numerus quaternarius, inquit,
 contractuum innominatorum regularium nec natura du-
 ce augeri potest, nec ullus dari aut excogitari, quin ad
 aliquem ad istos quatuor possit referri. Alter vero locus
 sese mihi offerebat in ANT. NEGVSANTII, Icti
 Itali Schediasmate de poenitentia in contractibus inno-
 minatis, tractatui eius de pignoribus et hypotheccis affi-
 xo, editionis Venetae, an. 1657. vbi th. XIX. quis credat,
 ait, quantus illi inuento insit vsus? si quis omnes casus,
 sub formulis quatuor contractuum innominatorum regu-
 larium latentes, ad iustam quandam normam, accurate
 in lucem protrahere potis foret? Certus enim egomet
 sum non tantum singulos ex statu personarum, vt et ex
 iure in re atque ad rem orientes casus per illas formulas
 efformari ac explicari posse, verum etiam reliquas cau-
 sarum figuras, quam variantes etiam illae sint, hoc arti-
 ficio in compendium quoddam feliciter redigi valere, ita
 vt vobis istud, si praestari posset, hecatombe dignum iu-
 dicarem. Hucusque NEGVSANTIVS. Cum ergo,
 ne quid diffimulem, haec talia propemodum vt contra-
 dictiones in adiecto, aestimarem: numerum nempe
 contractuum innominatorum adaugeri haud debere, et
 tamen omnes iurium realium personaliumque casus sub
 illis abscondi: parum aberat, quin IASONIS isthaec
 NEGVSANTIIque mysteria subriderem, illosque mi-
 raculorum fabros suas sibi res habere sinerem, inprimis
 post-

postquam e SCHILTERI ad *Pandectas Exercitationum XXXII.*, eiusque §. XI. addidiceram: nominatorum et innominatorum contractuum differentiam Legislationi Teutonicae incognitam esse, utpote, testantibus id antiquitatibus Romanis, ex iure Quiritum Flavianiano atque formulario, de certis actionum formulis impetrandis, earumque nominibus exprimendis, ortum suum trahentem, sic ut iuxta MOLINAM, de *I. et I. Tr. 2. Disp. 258. n. 9.* ethnica talismodi inuenta, ex Cacozeilia quadam versus extera per obseruantiam apud nos introducta, non congruerent validitati pactorum naturali et canonicae, a SAM. STRYCKIO, in *specim. vs. mod. Pand. ad Lib. 2. tit. 14. §. 5. seqq.* atque a tot aliis maximi nominis Ictis contra veterum subtilitatem prudenter defensae. Verum enim vero cum paulo pressus his inhaerendo facile animaduertentem, haud quamquam sibi obstare: ipsum horum contractuum numerum non esse per plures species cumulandum, praesertim si in confiniis solarum conuentionum innominatarum persistere vellemus, et tamen multos, si non omnes, iuris casus per formulas earundem virtuales detegi posse, si illas, et has, late ad omnes reliquos omnium iurium passus applicarem: parum me morabatur istud, utrum ipsi contractus innominati penes Germanos multi usus forent, vel minus? si modo occasione illorum, et quidem quod ad formulas eorundem spectaret, Iliadem totius iuris nuci velut includi, et vniuersis casibus iuridicis tum proprio Marte effingendis, tum alienis enodandis, aliquid vtilitatis per istas formulas conciliari posse euinceretur. Admouebam igitur labori, utut aliquantum improbo, manum, spe fretus, fore, ut nemo facile

le

le mihi succenseret, si, cum specimen aliquod profectuum meorum, licet satis tenuium, edere deberem, modeste eligerem tale, quod non ex aliis vndecim libellis duodecimi in locum surrogarem, sed, meo ingenio tantisper fuis, e ruderibus suis per analogiam iuris quandam excitarem ipse. Qua in re proinde tutius incedere haud autumabam, quam si fideliter, quibus passibus hoc in tentamine perrexissem, Lectoribus meis aperirem, totumque postea negotium, aequitati Eorundem, decidendum relinquerem.

Commemoratio progressuum factorum in explicacione loci IASONIS per PADILLAM, ILL. de BERGER, GREVE et B. TITIVM; Magis tamen per l. 189. et 218. D. de V. S. nec non per l. 60. pr. D. de cond. et dem. vi quarum LL. formulas quatuor contractuum regularium innominatorum affirmantes ad formulas negantes tam in dando, quam in faciendo, extenduntur, eaque occasione locus quidam BERGERIANVS restauratur, simulque inquiritur in rationem restrictionis a nonnullis factae quatuor aientium formularum ad solas negantes formulas in faciendo, quae opinio remouetur, istaque sententia ex iure tam civili quam recentiori Saxonico, in illustrata et emendata O. P. S. occurrente, stabilitur, additis duodecim praeter consuetas formulis. Propterea tamen non plures, quam quatuor horum contractuum species admittuntur, cum omnes reliquae ad mentem IASONIS sub iis vi et potestate continentur.

II.

Iacta igitur talem in modum alea, euolebam hac de re nonnullos alios autores; ast parce, si verum fate-ri licet, ab illis ad exhauriendam potissimum mentem NEGVSANTIANAM iuuabar: vtut, quantum ad verba IASONIANA explicanda pertinebat, sic satis ab iis erigerer. Ita enim in ANTONIO de PADILLA

LA, ad l. 5. D. de P. V. n. 21. et, vt recentiore etiam, Eumque maximi ponderis Ictum, ei adiungam, apud ILL. I. H. de BERGER. in *Tr. de vs. act. rei pers. cap. 3. n. 4. p. 29.* itemque in EIVS *Oecon. iur. lib. 3. t. 7. n. 1. annot. 1. p. 735.* animaduersum legebam: *vocabulum faciendi capiendum esse late, in sensu non solum physico, seu naturali, pro ipso actu positiuo; sed et in sensu morali ac ciuili, pro non facere, quod non fieri mea, vel tua, interesset.* Quippe, quo ipso non difficulter conuincebar, et iam antea quoque viua voce a Doctoribus quibusdam meis inaudieram, contractus innominatos ad formulas etiam negantes in faciendo extendi debere, adeoque, nisi me omnia fallerent, IASONEM forte in id animum intendisse, dum dixerat: nullum dari, aut excogitari posse contractum innominatum, quin ad aliquem quatuor regularium referri quiret. Qua occasione simul maxima cum reuerentia locum BERGERIANVM, in *Oecon. iur. p. m. 736.* reperiundum, cubare in mendo observabam, quando ibidem praeter mentem ILL. AVTORIS dicitur: *lata vocabuli faciendi significatione esse quatuor; stricta sex contractuum innominatorum species:* cum potius iuxta tale schema dici ab EO dubio procul voluerit: *stricto huius vocis significato quatuor: v. g. do, ut des, facio, vt facias; do, vt facias, facio, vt des: lata autem vocis faciendi acceptio- ne, ita vt et negatio huic faciendi vocabulo vbique adiciatur, octo tales contractus dari: v. g. do, vt des; facio, vt facias; facio, vt non facias; non facio, vt facias; do, vt facias; do, vt non facias; facio, vt des; non facio, vt des:* Haud enim video, qui possint, regula BERGERIANA, verbo scilicet faciendi ad negationem

B

quo-

quoque pertrahendo, semel stabilita, duae formulae negantes: facio, vt non facias: et: non facio, vt facias: omitti? Quamuis enim duo sic casus eueniant, quo vnus et alter contrahentium praestando id, quod interest, a suo facto et non facto possit liberari; nullus tamen inde actus plane frustraneus, quem iura detestantur, poterit enasci, cum praestatio eius, quod interest, a parte illius, qui promissa non seruauit, parti illi, quae promissa impleuit, sic satis causalitatis in se contineat. Quos proinde casus etiam L. CHRISTOPHORVS CELLARIVS in *schediafmate de poenitentia in contractibus innominatis*, Halae 1699. publicato, c. 1. n. 36. p. 11. reapse supplēuit. Pergebam itaque ad alios etiam hoc de themate scriptores, ac penes IO. VOET. ad tit. D. de P. V. n. 1. et, vt iterum nouiorem eo adiciam, apud MAGNIFICVM quondam TITIVM nostrum, in *obseruat. 646. ad comp. iur.* LAVTERB. formulas alienas in dando contractuum innominatorum regularium ad negantes etiam formulas in dando extensas videbam, v. g. do, vt non des, non do, vt des; non do, vt facias, facio, vt non des: ita vt hoc sensu duodecim earundem formularum exempla, cum praecedentibus octo coniuncta, in apicum ponerentur. Nihilominus cum ex hoc animaduertērem tacitum velut quendam inter PADILLAE fautores et VOETII amicos dissensum, quando illi nullas in dando formulas negantes; hi vero et in faciendo, et in dando, tales recensēbant, studio derelinquebam ad tempus omnem vltiorum autorum euolutionem, et potius me ad ipsos iuris fontes conferebam: vbi quidem PADILLIANAE sententiae vt eximie patrocinantem offendebam L. 189. D. de V. S. vtpote in qua
PAV-

PAVLVS : *facere oportere*, inquit, et hanc significacionem habet, ut abstineat quis ab eo facto, quod contra conuentionem fieret : cui loco §. *fn. I. de V. O.* addi meretur. VOETII vero opinionem excellenter corroboratam videbam in *l. 60. pr. D. de cond. et dem.* ubi idem PAVLVS articulum : *ut quid detur* : expresse transfert in articulum : *ne detur* : idque ex ratione ibidem adiecta : quod omnes enunciationes aientes in sensu quoque negante valerent, conditionesque faciendi sub se etiam continerent conditiones dandi pariter, et non dandi. Quo ipso patrocinium, PADILLAE assecles a PAVLO praestitum, multum diminuebatur, partim, quod idem ICTUS affirmaret de articulo dandi illud, quod adstruxerat de articulo faciendi ; partim vero, et quidem principaliter, quod hunc articulum faciendi velut pro genere articuli dandi, tanquam speciei suae haberet. Cum ergo praeterea in *l. 218. D. de V. S.* PAPINIANVM presse talibus vestigiis inhaerentem inuenirem hisce : *Verbum facere omnem omnino faciendi causam complectitur, dandi, soluendi, numerandi, iudicandi, ambulandi* : pacem eo ipso certam inter partes PADILLIANAS et VOETIANAS mihi pollicebar, cum, si vocabulum faciendi sub se comprehenderet etiam vocem dandi, ut tot verbis illud adstruit PAPINIANVS vna cum PAVLO, eandem forte mentem suis in formulis faciendi negantibus PADILLA cum VOETIO in dandi formulis negantibus habuisset ; aut, si talem PADILLA non fouisset sententiam, debuisset tamen illam ob autoritatem PAPINIANI et axioma PAVLIANVM, paulo ante recensitum, habuisse : id quod vtrumque mihi in materia praesenti

vnum idemque esse videbatur. Ne tamen hoc gratis a PADILLA me petere quis autumaret, in specialio-rem eius rei causam inquirebam, cur nimirum ipse eiusque afeelae, si vera haec eorum mens esset, noluerint statuere formulas in dando negantes? vbi quidem aliam inuenire haud poteram, quam quod obligationem dandi forte pro absoluta, adeoque ad praecise dandum comparata, per *l. 75. §. f. D. de V. O.* habuerint, obligationem vero faciendi aestimauerint pro mixta, hoc est, pro composita eandem tenuerint vel ad faciendum vel liberandum se per praestationem eius, quod interest, vi *L. 13. §. 1. D. de re iud. et l. 72. pr. D. de V. O.* Quod ipsum quamuis veritati adeo consentaneum sit, vt per *a. l. 3. D. si quis in ius voc.* obligationibus faciendi ad praescindendam viam, ne quis ob euitandum factum dilabatur facile ad praestationem eius, quod interest, pecuniaria poena adiici possit, obligationibus autem dandi absolutis, ob argumentum ex *l. 75. §. f. D. de V. O.* petitum, talis multa conuentionalis adaptari non queat; attamen nil nos prohibebat, cur haud aequae obligationes non dandi, ac obligationes dandi, ex principiis huius iuris communis pro absolutis, ita vt quis ab illis praestando id, quod interest, liberari nequeat, habere- mus, ac e contra secundum eiusdem huius iuris communis fundamenta obligationes non faciendi vt mixtas aestimaremus, sic vt praestatione eius, quod interest, similiter quis ab illis absoluator, ac in obligationibus faciendi id contingit. Vnde hac etiam consideratione articuli tam faciendi et dandi, quam eorum contradictorii, non dandi, et non faciendi, pari passu ambulabant. Vtterius vero, etiamsi ductu interpretationis ex-
 tensi-

tensiuae ob identitatem rationis haec assertio nobis concedi nollet, hariolari tamen haud difficulter poterant sagacissimi isti autores, qui aduersam sententiam tuentur, scriptores istos, quos iusta semel cupido incescit, longe lateque extendendi vim et potestatem formularum quatuor contractuum innominatorum regularium, inniti non potuisse locis recensitis VLPIANI in *l. 72. pr. et l. 75. §. f. D. de V. O.* nec non CELSI in *l. 13. §. 1. D. de re iud. frictioribus*, sed inhaerere merito debuisse laxitati eorum locorum, quos retulimus in praecedentibus ex PAVLI PAPINIANIque expressissimis sancitis, in *l. 189. et 218. D. de V. S. j. l. 60. pr. D. de cond. et dem. fundatis*. In quo tantum abest, ut quid incommodi admittatur, ut potius affirmans enunciatio, quam suam facit DIONYSIVS GOTHOFREDVS ad *l. 60. pr. D. de cond. et dem.* hisce verbis: *qui facit, dat; dat, qui facit;* locum suum heic iuste inueniat, et rectissime mutetur pace GOTHOFREDI in dictionem hance negantem: *qui non facit, non dat; non dat, qui non facit*. Sed ut e diuerticulo in viam redeamus, si translatio negans in articulo de dandis ex ratione superius allegata, quod obligatio dandi absoluta sit, valere non deberet, haud etiam permillum foret, minimum post publicationem emendatae illustrataeque Ordinationis Proc. Elect. Sax. nostris in territoriis, negantes articulos in faciendo condere: cum obligatio ad faciendum, aequae ut obligationi ad dandum in iure ciuili id accidit, sanctionibus Electoralibus Saxonis pro absoluta fuerit declarata in *§. 2. ad tit. O. P. XXXIX.* his verbis:

Es soll einer von der praestatione facti, wenn es in
 B 3 seinem

seinem Vermögen stehet, so dem arbitrio iudicis zu überlassen, per praestationem eius, quod interest, nicht liberiret werden.

Quod assertum sane: negantes nempe articulos in faciendo condendos non esse absque vlla arrogatione interpretationis doctrinalis, hanc in Processus Ordinationem veritae, a mente SERENISSIMI NOSTRI LEGISLATORIS vi subsequenter §. 3. quam longissime remotum est, ita vt ex his illius verbis O. P. S. Professor Iuris Vitembergenfis, D. I. G. KRAVSIVS, in *tractatione sua synoptica processus iudicarii* p. 212. et §. 7. *in f.* non immerito adhuc semel illud repetat: *Atque adeo hoc in Saxonia ita obseruatur, vt ad factum condemnatus, eius, quod interest, praestatione se amplius liberare non possit.* Per quam illustrem SEREN. REGIS ATOVE ELECTORIS dispositionem, cum illi nec vlla obftet vel aequitas, vel analogia iuris, serupulositati simul eorum, qui admissis, velint, nolint, conuentionibus tam in non faciendo, quam in non dando consistentibus, vtpote negantibus, nullum synallagma, nisi aut tempore adiecto, aut cautione actuali praefita, inesse posse contendunt, optime satisfit per verba §. 3. in praecitato titulo subsequenter:

Wann hingegen einem etwas nicht zu thun, oder sich einer Sache zu enthalten, auferleget wird, soll hinführo statt der Caution auf eine gewisse Strafe in casum contrauentionis mit erkannt, und solche, wenn darwider gehandelt wird, eingetrieben = = = werden:

vtpote quae dispositio petita forte est ex §. *fn. I. de V. O.* ita vt causae et synallagmatis sat luculenti vicem po-

na

na isthaec subeat, etiamsi non penes nos vi pacti validissima essent iamtum omnia, etiam negatiua, pacta, sic vt dandis, iuxta praeftructionem ex principiis iuris Iustiniani et huius §. in verbis: **Oder sich einer Sache zu enthalten** *re. re.* sub facto clare comprehensis, iure nunc etiam Saxonico eadem poena conuentionalis, aut iudicialis, non danda, ac non facienda, loco cautionis comitari et possit et debeat. Ex quo fundamento, ratione aequalitatis formularum negantium in dandis et faciendis, verissime posito, vel sua sponte fuit: commemoratis superius duodecim exemplis formularum adhuc has quatuor tam in subiecto, quam in praedicato, (detur ita philosophice loqui) enunciationis formulas negantes addi debere: non do, vt non des; non facio, vt non facias; non do, vt non facias; non facio, vt non des: sic vt sedecim inde formulae enascantur. Quod ipsum suo modo praeuidit sagacissimus TITIVS citato loco, quando ibidem: *plura, inquit, adhuc occurrere vel effingi posse exempla, certum est.* Quam certissimum enim hoc sit, ex subsequentibus vna explicatione harum formularum patecet. Interea tamen extensio haec vtroque iure permiffa formularum in non dando aequae vt in non faciendo sese exferens, quocunque tandem respectu articulos hos intuearis, me non eo vsque commouit, vt cum prae laudatis BERGERIS aut etiam LAVTERBACHIUS, in *comp. ff. ad tit. de P. V.* statuerem: plures regularibus quatuor contractuum innominatorum regularium speciebus species dari: sed eo saltem me per hoc adductum videbam, vt secure nunc cum IASONE assererem: nullum dari vel excogitari valere contractum innominatum, quin potestate ac virtute ad aliquam istarum
qua-

quatuor speciem per modum subdiuisionis in tacitum et expressum possit recenseri. In quo meo asserto tanto magis confirmabar, quanto plura nunc exempla, et ea quidem sub praemissis, ratione similis potestatis abscondita, ut e sequentibus comparebit, detegebam, quamquam, ut nihil diffimulem, salus Graeciae, aut Reipublicae Romanae, nihil detrimenti captura inde mihi videatur, etiam si nouas tales formulas, inprimis vero duodecim negantes, conspicias veterum quatuor formularum dicere, atque adeo ad latus earundem illas potius admouere, quam eas illis, ut subspecies, aut exempla, subiicere quis anhelaret.

Explicatio veri sensus formularum contractuum innominatorum regularium, et quidem ante omnia, quod obiectum harum formularum ratione faciendorum dandorumque attinet: dein quod ad subiectum ratione personarum in his formulis latentium spectat; et tandem quod ad formam earundem pertinet. Ex obiecto concluditur: formulas, intuitu huius, numero innumeras esse: ex subiecto vero inferitur: schemata simplicia centum et viginti octo nouas formulas producere, quae sedecim in secundo numero productis additae centum et quadraginta quatuor formulas reddunt: uti tandem ex forma harum formularum demonstratur non tantum quadraginta octo nouis formulis eas augeri; sic ut numerus earum hac consideratione ad centum et nonaginta duas usque promoveatur: verum etiam apparere, quod quoad formulas mixtas respectu subiecti et formae aequae fere in infinitum eas abeant, ut illud tam quoad formulas simplices, quam compositas intuitu obiecti factum est. Qua occasione multae leges explicantur, autoreque citantur, una cum debita eorundem illustratione, aut, si opus fuerit, consutatione.

III.

Auctis itaque formulis quatuor affirmantibus contractuum innominatorum regularium per nouas duodecim

cim formulas negantes, vi ac potestate sub istis affirmantibus latentes, dum quatuor vicibus in antecedenti, totidem in consequenti, et tot aliis vicibus in antecedenti et consequenti harum formularum simul, negationem iis apposueram, ita vt vniciuique eo ipso formulae affirmanti formulas tres negantes adiiciendo numerum earum ad sedecies repetitam quantitatem euixissem, inquirebam merito in id, quidnam illae sedecim formulae in se comprehenderent proprie, et quomodo illud, quod sub se complecterentur, proferrent? vbi quidem vel obiter solum eas intuendo detegebam, mentem ICTorum veterum in effingendis hisce formulis contractuum innominatorum regularium haudquaquam ad danda atque facienda praeciso sensu sumta restrictam fuisse, sed potius adeo large vageque sese extendisse, vt omne, quod per modum obligationis, nondum certo nomine donatae, sub dio accideret, ista ratione illis contractuum formulis subiicere voluerint, si ab vna parte conuentio talis adimpleta esset. Convincebar enim eius apertissime ex substratis hinc inde ab istis ICTis vni alteriue formulae exemplis, quando v. g. in *l. 5. pr. D. de P. V. PAVLVVS*: *manumitto, ait, filium naturalem tuum, vt tu manumittas meum*: vbi profecto faciendi verbum non stricto, sed laxo satis, circuitu pro iuris actu adhibetur. Cum quo conspirat illud, quod in §. 4. eiusdem *L.* profertur: *exigo a debitore tuo Romae, vt tu exigas a meo Carthagine*: vel: *aedifico in tuo solo, vt tu in meo aedifices*: id est: permitto aliquid, vt tu idem, vel aliud, permittas: quod mehercle iterum longe a praecisa faciendi significatione abludit, ita vt temperare sibi haud potuerit D. KRESS. in *spec. Iurisprudentiae priuatae*

Lib. III. tit. 24. §. 7. quando ibi ad exempla haecce peruenit, in ista verba erumpere: *Sed quid opus omnes species recensere? sufficit conuentionem talem esse, ut inde detur actio.* Haud dissimile proin ad articulum etiam: do vt des: exemplum occurrit in *l. 17. §. 3. D. eod.* vbi VLPIANVS: *Commodo tibi, inquit, per denos dies bouem meum, vt tu mihi tuum ad opus faciendum commodes: vbi ad eo maiorem nostrae opinionis confirmationem adiicitur: non commodati actionem, si apud alterum bos perierit, competere, quia non fuisset gratuitum commodatum; verum praescriptis verbis agendum esse: scilicet, vt id de meo addam, ob latentem inibi generalem articulum: do, vt des: speciali exemplo: commodo, vt commodes: illustratum. Par esto iudicium de reliquis duobus generalibus articulis ad ductum amborum priorum his quoque schematiformis specialibus condecorandis: manumitto filium naturalem tuum, vt tu mihi commodes bouem: i. e. facio vt des: et: commodo tibi bouem, vt tu manumittas filium naturalem meum: i. e. do, vt facias. Et quid multis? cum PAVLVS ipse de articulo: facio vt facias: in *l. 5. §. 4. D. de P. V.* pronunciet: *haec species tractatus plures recipit: alter vero citatorum heic duorum ICTorum, VLPIANVS, in l. 4. D. eod.* causam eiusmodi formularum generalitatis indicet ipse, quando: *natura rerum, inquit, conditum est, vt plura sint negotia, quam vocabula: cui non solum eleganter adstipulatur CELSVS in l. 2. D. eod.* dum dicit: *cum deficient vulgaria atque vsitata actionum nomina, praescriptis verbis agendum est: verum etiam ipse prior ICTorum antiquorum a nobis allegatorum, PAVLVS in l. 1. pr. D. eod.* rem totam perbelle*

belle decidit, inquitendo: *cum proprium nomen inuenire non possumus, facile descendimus ad eas actiones, quae in factum appellantur*: id est: subsidiarii sunt quatuor articuli contractuum innominatorum, et descendentes ex iis praescriptis verbis pariter ac in factum actiones, ita vt toties, quoties nos destituit proprium Contractus atque actionis alicuius vocabulum, aut quando ipsos nominatos quoque contractus aliter celebramus, quam natura eorundem in legibus determinata fert, v. g. commodo vt commodos: loco eius: commodo vt in specie restituas: vel: vendo tibi insulam, vt aliam insulam reficias: *l. 6. D. P. V. loco eius: vendo, vt pretium soluas: a. l. 5. §. 1. D. eod.* tunc nos protegamus generalibus formularum harum earundemque actionum indeterminatarum terminis, cum ea propter formulas has innominatas dixerint veteres, quod applicari possint omni in iure nostro obuienti actui obligatorio, certum nomen non habenti, adeoque sint ipsissimus illius iuris in omnigenam speciem sese varians Proteus, seu Vertumnus, de quo OVIDIVS *Libr. I. Fastor.* canit:

Ille suam faciem transformat et alterat arte.

Opus proinde haud foret, vt ad generalissimum facienda dandique vocabulorum sensum vterius deducendum leges adhuc alias produceremus, ni ad nouitatis maculam a nostro themate abstergendam partim, partim ad ponendum ante oculos, quod iuri formulario Pontificum felicius, quam his formulis arbitrariis, illudere, dicamque scribere nequiverint veteres ICTI, partim vero perspicuitatis plenae prorsus causa superflui etiam quid addendi causam nos habere crederemus. Ex quo

folo capite repetimus pereximiam PAPINIANI, l. 218. D. de V. S. *verbum facere omnem omnino faciendi causam complectitur, dandi, soluendi, numerandi, iudicandi, ambulandi*: eisque vocibus adiicimus magni huius ICTI permissu ex Latinitatis indice verba quoque abalienandi, belligerandi, cauendi, debendi, et mille millies alia, proprio Marte iisque ad vltimum zelandi, verbum, vt ita loquamur, ab vnoquoque facile supplenda vocabula, ipsa hac via ex suis longe lateque diffitis peripheriis ad verum faciendi centrum fauste redigenda. Sunt enim, vt ex variis legum ad citationibus reperiemus, tres vocum: faciendi dandique: acceptiones: generalissima, vi cuius facio pro do: et, do, pro facio: quandoque valet, asserente id recte superius citato GOTHOFREDO, ex l. 76. D. de V. S. vbi dicitur: *Dedisse intelligendus est etiam is, qui permutauit, vel commutauit: quia scilicet dat qui facit, facit qui dat.* Deinde sumuntur duo haec vocabula: facere ac dare: specialiter, ita vt vox faciendi omnes sub se comprehendat actus, quibus quid absque rei interuentione expeditur; dandi vero vocabulum omnes actus cum rei interuentione connexos designet. Quo pertinet l. 19. D. de V. S. actus absolueudos vel cum vel absque rei interuentione bene distinguens; j. l. 19. D. eod. et l. 7. pr. D. de minor. Tandem vero faciendi atque dandi vocabula accipiuntur adeo stricte, vt facere contra distinguatur verbo: *pronunciare*: in l. 48. D. de aedil. edict. Vbi: *multo enim amplius est, id facere, quam pronunciare, in vinculis fuisse*: itemque in l. 3. §. 15. D. de itin. act. priv. aliud est *reficere*, longe aliud *facere*: vt in l. 1. §. 33. D. de pos. adseritur: *aliud est reddere; aliud, quasi de suo dare.* Licet ergo sensu

su omnium generalissimo antiqui iurium nomenclato-
 res sub solo articulo: facio vt facias: includere potuis-
 sent omnes tres reliquos generales formularum articulos,
 cum laxissime penitus per *l. 218. D. de V.S.* verbum facere
 dandi quoque causam complectatur, idque tam affirma-
 te, quam neganter, *l. 60. pr. D. de cond. et dem. j. l. 189.*
D. de V.S. bene tamen fecerunt illi ipsi legum statu-
 minatores, quod, per sensum inter tres allegatos me-
 dium, facienda a dandis ita secreuerint, vt sub faciendi
 voce etiam ommittere, pati, destruere, reficere, et ver-
 bo: omnia vocabula, absque rei interuentione in actum
 deducenda, comprehenderint: sub dandi autem verbo
 nonnisi retinendi, auferendi, accipiendi, et breuibus:
 omnia vocabula fuerint complexi, quae cum rei inter-
 uentione expediri debent, ita vt in materia contractuum
 innominatorum regularium ne quidem capere ab acci-
 pere, aut sistere ab exhibere, vel restituere differant, sed
 sub articulo: do vt des: comprehendantur singula, quae
 alias extra hunc statum causae iuxta *l. 71. D. de V.S.* et
l. 246. D. eod. vel toto coelo a se inuicem distant. Qua
 speculatione sic mea, circa obiectum dandorum scilicet
 faciendorumque in formulis his ad vmbilicum perdu-
 cta, liceat nunc secundo loco paucis quoque ad subie-
 ctum personarum in iis obuientium properare, vt
 verum hac etiam in parte sensum earundem in lucem
 protrahamus. Nimirum, si ex personis verborum fa-
 ciendi atque dandi, ipsis in formulis intrinsece occur-
 rentibus, do vt des etc. iudicare quid licet, nonnisi de
 me et te, istae formulae agunt: ast, cum tu, tanquam
 meus proximus, sub forma tertii, quarti, quinti, et tot aliis
 sub figuris moralibus, aut physicis, indiuidualibus, aut col-

lectiuus, extrinsece, vt ita loquamur, possis repraesentari, adeoque immense variari, vt in exemplis inferius adiectis id dignoscemus, ortum inde suum habet, quod PAVLVS in lege toties laudata 60. pr. D. de cond. et dem. dixerit: *dandi faciendique conditiones in personas collocari aut ipsorum, quibus quid relinquitur, aut aliorum: cui proponendi rationi* NERATIVS, in l. 124. D. de leg. 1. et VLPIANVS, in l. 13. pr. D. de her. inst. ad mentem LABEONIS, mentionem nostrum et aliorum, nominalem aut collectiuam comite superaddunt; SATVRNINVS vero in l. 16. §. 3. D. de poen. personam eius, qui fecit, et eius, qui passus est, optime distinguit, quod discrimen in formulis nostris, vbi vnus facit, aut dat, alter autem patitur, vt quid fiat, vel detur, luce meridiana clarius est. Quo ipso omnes in mundo homines, agendo, aut patiendo, nemine in toto terrarum orbe excluso, hisce contractuum innominatorum formulis subiiciuntur, ac nullum factum, nullaque datio, earundemque passio occurrere potest, quae non ab iis includatur. Abibam ergo tertio loco ab hac consideratione ad formam, qua nempe talia facta, danda, atque patienda ratione mei, aut tui, aut aliorum in his formulis proponerentur? et reperiēbam: duas in illis enunciationes ex ista vna, quae ab IMPERATORE in §. I. I. de V. O. occasione stipulationum: *dabis? facies? dabo, faciam:* allegatur, conflatas esse, quarum altera sonaret: do: altera: vt des: atque sic in reliquis. Quas duas propositiones per affirmationem aut negationem, vnilateralem vel bilateralem, in vnā compactas nos breuitatis causa in posterum per antecedens et consequens, vt iamtum id fecimus, distinguemus, Obseruaba-

uabamus igitur praeterea, formulas in latere utroque affirmantes danda primum, posteaque facienda homogeneae seu similariter: do ut des; facio ut facias: deinde heterogeneae seu dissimilariter: do ut facias; facio ut des: coniungere: formulas autem in antecedenti affirmantes, et in consequenti negantes, vel vice versa, partim danda et non danda, partim facienda et non facienda, iterum vel homogeneae: do ne des; non do ut des; facio ne facias; non facio ut facias: vel heterogeneae: do ne facias; non do ut facias; facio ne des; non facio ut des: includere: utrinque contra negantes formulas nil praeter non danda atque non facienda rursus vel similariter: non do ne des; non facio, ne facias, vel dissimilariter: non do ne facias; et: non facio ne des; sub se continere. Quae singula tam danda atque non danda, quam facienda atque non facienda per causam finalem, seu modalem, ut ICti loquuntur, mediante particula: *ut*: in formulis affirmantibus ad ductum *l. 5. pr. D. de P. V.* aut ope particulae: *ne*: vel: *non*: in negantibus ad exemplar *l. 60. pr. D. de cond. et dem. i. l. 7. §. 8. D. de pact.* proponerentur. Ex triplici autem hac ad amulum peracta formularum inspectione facile mihi erat dignoscere 1) ratione obiecti dandorum atque factorum eorundemque omnium, quae vi ac potestate illuc ex demonstratis pertinerent, formulas has numero innumeras esse, ita ut recensionem earundem hoc respectu inire velle pro repetito fere maris in foueam exhauriendi conatu tenendum foret, cum nullum verbum, nulla in lingua, vllius gentis praeteritae, praesentis, vel futurae toto in terrarum orbe derur, quod non vel homogeneae affirmanter aut neganter sibi ipsi admotum; vel heterogene-

genee iterum affirmanter aut neganter alteri cuidam verbo additum; et tali ratione, qua contractus, innominati regulares efferuntur, pronunciatum, contractum aliquem innominatum post se relinqueret. 2) Videbam clare, respectu subiecti, quod ad personas nempe in formulis latentes attinet, multas iterum nouas formulas exin, velut ex equo Troiano, proflire. Sic enim ICTi veteres haud absque causa omisisse mihi videbantur denominationem mei et tui in quatuor his formulis: do vt des; facio vt facias; do vt facias; facio vt des; ita, vt cum PAVLVVS, in *l. 5. pr. D. de P. V* dixisset: *do tibi vt des*: claudat tamen mox *sum primum huius legis adiectione* vocolae: *tibi*: ita: explicitus est articulus: do vt des: Non enim praecise determinato isto: vt ego dem tibi, et tu des mihi, utpote quae restrictio contra rerum naturam impingeret, liberimum mihi erit, multa, ratione subiecti, seu vt loquitur *l. 60. pr. D. de cond. et dem. intuitu ipsorum, quibus quid relinquitur, aut aliorum*, noua paradigmata formare: v. g. homogeneae: do mihi (fictae per compensationem eius, quod tibi debui) vt des mihi (vere residuum eius, quod tibi credidi, per paratam pecuniam) do tibi (partem debiti tui parata pecunia) vt des tibi (reliquum per compensationem crediti mei) do alteri (ob delegationem particularem a te mihi factam) vt tu des alteri (quod excedit delegatum a te meum debitum.) Nonne enim verum est, omni die duos, tres, aut plures sibi inuicem debitores et creditores, vtut non praecise semper et ad concurrentem summam, existere? hi ergo, si fictae, aut suo modo per breuem manum, se a se inuicem liberant, nil aliud agunt, quam quod praelaudatus

datus articulus: do mihi, vt des mihi: in ore gerit.
 Nam quamuis mihi ipsi proprie non obli-
 gatus in me ius proprie sic dictum; attamen, si res-
 pectus ad alium se immisceat, mihi, hac consideratione
 habita, tam optime quid dare, quam facere posse, ex-
 tra dubitationis aleam est. Oriuntur namque talia ne-
 gotia, qualia prae se ferunt haec exempla, studio a no-
 bis electa, ex *pariacione*, vt dicitur in *l. 67. §. 3. D. d.*
condict. ind. inter creditum et debitum, iuxta *l. 1. D. de*
compens. instituta, id quod mercatores nostri voce, ab
 Italis mutuata *scontriren* dicunt, i. e. *die debita gegen*
einander per scontro abschreiben, und das übrige per cas-
sa, oder durch assignation, bezahlen. Scontratio autem
 ista, vt ita dicamus, fit penes nos Lipsiae inprimis alte-
 ra nundinarum hebdomade in Bursa, quam aiunt, pu-
 blica: vti parata solutio accidit, praecipue die istius se-
 ptimanae Iouis, nec tenetur quis pati, vt assignatione,
 quo stylo mercantili pergamus loqui, loco paratae pe-
 cuniae hac die sibi satisfieri velit. Verum vt ab illu-
 stratione horum exemplorum in viam redeamus, hete-
 rogenea schemata erunt talia: do alteri (per delegatio-
 nem tuam) vt des mihi: (quod pluris ego tuo creditori
 solui) do mihi (per compensationem) vt des alteri (quod
 mihi debes per delegationem meam) do alteri (per de-
 legationem tuam) vt des tibi: (residuum per acceptila-
 tionem, seu stylo hodierno, vbi stipulationes regulari-
 ter exulant, per pactum liberatorium inter nos in-
 nitum) do mihi (per acceptionem in solutum) vt des tibi (per
 acceptilationem eius in locum poenae, quod mihi sol-
 uisti) quod postremum exemplum est oppositum arti-
 culi ordinarii: do tibi, vt des mihi. Atque huc vsque

D

qui-

quidem tendunt paradigmata ratione subiecti simplicia, siue simularia, siue dissimularia, quorum vnumquodque dat quadrigam formularum affirmantium, quae per additas duodecim negantes euehi possunt vsque ad numerum sedecimum, qui per octo, quot sunt palmaria schemata multiplicatus reddet centum et viginti octo nouas formulas, quae sedecim in secundo numero productis additae centum et quadraginta quatuor formulas producent. Mixta vero paradigmata ratione personarum indicabuntur, quando, quidnam talia ratione formae sint? paulo inferius audiemus; vbi simul mentio earum formularum fiet, quando quis mihi quid dat, vt curem, quo ab altero quid accipiat, quorsum suffragium referre solent vna cum aliis. Interea cum 3) in inuestigatione contentorum illorum, quae in formulis quatuor ordinariis contractuum innominatorum regularium abscondita essent, obseruarem, per modum seu causam finalem, illa proponi, nil reperiebam, quod me prohiberet, quamobrem non quatuor modales sub initium ad sedecim vsque a me productas formulas quoque ad sedecim conditionales ob *l. 5. C. de R. P. j. l. 17. §. 3. et l. 21. D. de cond. et dem.* protraherem? cum in vno harum exemplo praeuentem haberem supra iam citatum **L. CHRISTOPHORVM CELLARIVM**, de poenit. in contr. in nom. c. 1. n. 37. adminiculante scilicet particula: *si: a. §. 3. I. de V. O. et l. 5. §. 3. et 4. D. de P. V. do si des etc.* imo, cur haud idem illud facerem per sedecim quoque nouas formulas sub die tales vi particulae: *cum: a. l. 12. §. 1. D. de leg. 2. j. l. 27. pr. D. de leg. 3.* postquam animaduertebam, vnanimi Ictorum consensu tres has particulas ad designandum modum,

dum, conditionem atque diem adoptatas dudum esse, ut vel solo ILL. BERGERI NOSTRI exemplo in *oec. iur. p. 568. f. n. IX. et X.* id videre foret, vtut nemini prohibitum sit, per aequipollentes quoque particulas: *quo: quando: postquam:* aliasque idem id praestare. Hoc ipso autem triginta duabus recentibus formulis eadem ratione, ac quatuor modales in sedecim euexeram, et numerum formularum contractuum innotinatorum regularium adaugere valebam, ita vt haec triginta duae formulae praecedentibus centum et quadraginta quatuor superadditae praecise centum et septuaginta sex formulas, a se inuicem quam maxime differentes, post se relinquerent. Omni etenim dubio ob *l. i. pr. D. de don. j. §. 2. atque 4. I. de V. O.* (vt pote qui totus titulus vna cum titulo *C. de donat. quae sub modo, vel conditione, vel certo tempore conficiuntur*, apprimè huc spectat) carebat: conditionales obligationes, nec non sub die initas, ad praescriptum *l. 213. pr. D. de V. S.* pro ratione vniuscuiusque suae formae pariter validas esse, vti modalis, synallagmate potissimum ab vna parte impleto, per *tot. tit. D. de P. V.* et particulariter per *l. 17. §. 2. D. de manum. test.* respectu suae constitutionis pro rite obligatoria declararetur. Vbi quidem a diuisionibus conditionum, quibus dispescuntur in expressas atque tacitas, in possibiles et impossibiles, possibilesque subdiuiduntur partim in simplices et mixtas, partim in suspensiuas et resolutiuas, non aliter, vt simplices vltèrius subdiuiduntur in potestatiuas, casuales et mixtas, in specie sic dictas, studio abstrahebam, similique patrabam cum differentia conditionis in conditionem facti atque iuris ex *l. 21. D. de cond. et dem.*

quamuis per singulas has diuisiones ac subdivisiones, earundemque ad formulas contractuum innominatorum regularium ordinarias applicationem ingentem numerum recentium formularum iamtum inuentis superadiicere potuiffem. Sic et lubens a diei diuisione in expressum et tacitum, certum et incertum, atque ab vtriusque subdivisione in simpliciter, et secundum quid, ratione quaestionis an, vel quando, vel vtriusque simul talem, abstinebam, licet iterum per harum distinctionum admotionem ad formulas dictas ordinarias regularium contractuum innominatorum incredibilem multitudinem nouarum formularum exculpere valuiffem: Mihi namque sufficiebat, generaliter rationem me digito monstrauiffe, qua iuxta schema formularum modalium etiam conditionales et sub die tales, absque specialium exemplorum, e quibus diuisiones atque subdivisiones ortum suum trahunt, vltiori admixtione condi deberent? cum reliqua earundem productio vel sua sponte sese daret. Interim tamen illud vnicum heic reticendum non erat, quod dies simpliciter, an et quando? incertus conueniat cum conditione simplici casuali ratione obligationis, atque ideo hoc respectu vna pro altera, velut aequipollens, *a. l. 56. D. de condict. ind. et l. 213. D. de V. S. adhiberi queat.* Ast cur causam impulsiuam, velut rationem, propter quam aliquid datur vel fit, quaeque respicere potest tempus vel praeteritum, vel praesens vel futurum, ad normam *l. 17. §. 2. D. de man. test. j. l. 5. §. 1. inf. §. 2. in f. D. de P. V. et l. 7. §. 2. D. de pact. do quia das, vel dabis, vel dedisti: formulis modalibus, conditionalibus atque dialibus, liceat compendii gratia quandoque ita loqui, haud adiiicere, proindeque sedecim
nouis*

nouis formulis essentialibus supra commemoratas centum et septuaginta sex condecorare, et adeo ad centum et nonaginta duas promouere deberem? rationem nullam adinueniebam, inprimis cum euoluerem legem praestantissimam 44. *D. de O. et A.* in cuius principio PAVLVS: *obligationum, inquit, fere quatuor causae (i. e. formae) sunt: aut enim dies in his est, aut conditio, aut modus, aut, quod insigni annotatione dignum reperitur, accessio.* Plus enim hac ipsa accessione ICTus praestat, quam quod in praecedentibus numerus noster exhibuit, dum ex hac accessionis adiectione consequitur: formulas contractuum innominatorum, sicuti omnem obligationem, non solum sub die, conditione, modo, aut causa impulsiva; sed et per accessionem, i. e. per circumstantiarum omnium reliquarum tam intuitu personae, quam rei adiectionem instrui posse: ut ipse PAVLVS accessionis vocabulum in *huius Legis §. 4.* explicat, nobisque ea explanatione occasionem praebet, ut penitus in sententia nostra corroboremur, quando per viam talem accessionis omnia alicuius linguae vocabula, dationem aut factum, actiue, aut passiuè, aut mixtim, praeferebant ad quatuor articulos contractuum regularium innominatorum retulimus. Atque hic propria sedes est, a simplicibus hactenus ratione obiecti, subiecti et formae recensitis formulis ad mixtas quoque ac compositas transire. Vbi quidem melius incedere non poterimus, quam si a mixtis ratione formae modis incipiamus, et reliquas deinde ad harum exemplar digito solum monstremus. Scilicet diximus in antecedentibus: formulas ratione suae formae esse vel modales, vel conditionales, vel diales vel impulsivas: Ad harum igitur

simplicium latus mixtae nunc formulae ita ponuntur, vt loco primo sex vicibus duas semper formulas, formulam nempe modalem et conditionalem, modalem et dialem, modalem et impulsuam, conditionalem et dialem, conditionalem et impulsuam, dialem et impulsuam, in vnam formulam redigamus: secundo vero loco ex his dupliciter iunctis formulis tripliciter quoque secum additas formulas ter admoueamus, modalem scilicet, conditionalem et dialem; modalem, conditionalem et impulsuam; nec non modalem, dialem ac impulsuam: vsque dum tandem tertio loco quadrupliciter omnes quatuor formulas: modalem, conditionalem, dialem et impulsuam: in vnam solam formulam cogamus. Vnico exemplo, eoque decem vicibus per compositionem modo recensitam variato, res fiet apertissima. Porrigit nobis VLPIANVS illud in *l. 18. D. de P. V.* quando ibi formulam modalem vna cum conditionali ita coniungit, vt aiat: *depono apud te pecuniam, vt des Titio, si fugituum meum reduxerit*: Hanc nos nouem adhuc vicibus aliter coniungemus, ita vt eam proponamus 1) modaliter dialiter: *depono apud te pecuniam, vt des Titio, cum fugituum meum reduxerit*: 2) modaliter impulsue: *depono apud te pecuniam, vt des Titio, seu chartae parcendae ergo breuius; do tibi vt des Titio, quia fugituum meum reducet*: 3) conditionaliter dialiter: *do tibi, si dederis Titio, cum fugituum meum reduxerit*: 4) conditionaliter impulsue: *do tibi, si dederis Titio, quia fugituum meum reducet*: 5) dialiter impulsue: *do tibi cum dederis Titio, quia fugituum meum reducet*: 6) modaliter conditionaliter dialiter: *do tibi, vt des Titio, si fugituum meum redu-*
xerit,

xerit, antequam annum finiemus : 7) modaliter, dialiter, impulsue : do tibi vt des Titio, cum fugitium meum reduxerit, quia in eius vicinia est : 8) conditionaliter, dialiter, impulsue : do tibi, si dederis Titio, cum Kal. Dec. fugitium meum reduxerit, quia isto tempore eius seruitiis indigeo : 9) modaliter, conditionaliter, dialiter et impulsue : do tibi, vt des Titio, si fugitium meum reduxerit, cum saturnalia celebrauerimus, quia eius seruitiis hoc tempore imprimis indigeo. Quod solum Exemplum PAVLIANVM quinquies duplicate, ter triplicate, et semel quadruplicate aliter quoad formam coniunctum, ita vt nouos semper casus nobis obtulerit, si ad vnumquemque articulorum reliquorum : facio tibi, vt facias Titio ; do tibi, vt facias Titio ; facio tibi, vt des Titio : decem vicibus, PAVLI coniunctione ipsa inclusa, applicetur, et partim affirmate, partim affirmate et negate, ac partim vtrinque negatiue proponatur, notabilem iterum formularum numerum sub tot actibus minus puris, vt heic allegati fuerunt, latentem producet, quem tamen ideo sigillatim amplius determinare nolumus, cum pone hanc Appelleam tabulam tot alii adhuc casus lateant, qui omnem plane numerationem effugiunt, vt circa finem huius numeri comparebit. Vltus interim compositorum talium formularum in vltimo huius dissertationis numero producet. Ansam vero, cur positum PAVLI exemplum in *l. 18. D. de P. V.* occurrens vltterius protraxerim, dederunt mihi mixta exempla formularum absolutarum, et disiunctiuarum, a VOETIO et LAVTERBACHIO, prolatarum. Ita enim VOETIVS in *Comment. suo ad D. tit. de P. V. n. 1.* has formulas mixtas affert : *do et facio, vt des : do, vt des et facias : do et facio, vt des et facias :*
alias-

aliasque, vi ac potestate sub his tribus, quod VOETIVS haud vidit, latentes: Mistura enim fit vel in antecedenti solo, vel in consequenti solo, vel in antecedenti et consequenti simul: ad quos tres casus proin referuntur omnes reliqui siue aienter, siue neganter, mixti ea ratione, quam in secundo iamtum numero satis luculenter, spero, indicauimus. LAVTERBACHIVS, autem, vel potius SCHV'TZIVS, in *compendio iuris decantatissimo ad eundem Digestorum titulum de P. V. disiunctiue* has mixtas formulas, vti Ipse illas appellat, ex *l. 13. §. 1. D. eod.* ita effert: *do, vt des, vel aliquid facias*: occasione forsitan, praeter allegatam legem, arrepta ex *l. 124. D. de V. S.* vbi PROCVLVS praeter exemplum aliquod *disiunctiuum*: duo etiam *subdisiunctiua*, vt ait, exempla isti superaddit: *aut sedet, aut ambulat*: et: *omne animal aut facit, aut patitur*: eoque ipso simul VOETHII misturam, absolute positam, eximie confirmat, vtut ille ipse W. A. LAVTERBACHIVS, in *Coll. theor. pract. ad ff. §. 1. h. t.* absolute iterum efferat, et hanc in rem MOLIN. *de I. et I. rr. 2. 2. Disp. 253. n. 3.* citet, quod SCHV'TZIVS, disiunctiue allegato loco enunciauerat. Quam absolutam formulam si vna cum mixtione disiunctiua duabusque subdisiunctiuis post modalem coniunctionem vel conditionaliter, vel dialiter, vel impulsue, idque iterum vel simpliciter, vel binarie, vel ternarie, vel quaternarie aiendo, aut negando, tot vicibus, quot negatio diuerse applicari potest, tam in antecedenti, quam consequenti, vel vtroque in lucem protraheremus, incredibilibus fere nouis formulis iamtum detectas adaugeremus. A quo proposito eo libentius, quamuis in eo verum medium omnes

omnes intricatissimos eruendi casus consistat, abstinemus, quo clarius in antecedentibus docuimus, omnia in infinitum tandem excurrere. Id quod vnusquisque comprehendet ipse, si ad promissum nostrum, superius datum, digito saltem indicemus aliquas, quid dicam? omnes ratione subiecti et obiekti harum formularum mixturas. Talia vero composita paradigmata sunt: do et facio mihi, vt des mihi: do et facio mihi, vt des et facias mihi: do et facio tibi, vt des tibi; do et facio tibi, vt des et facias tibi: do et facio alteri, vt des alteri: do et facio alteri, vt des et facias alteri: do et facio alteri, vt mihi cures dare alterum: do et facio alteri, vt tibi cures dare alterum: do et facio alteri, vt mihi cures dare et facere alterum: do et facio alteri, vt tibi cures dare et facere alterum: do tibi et mihi, vt tu des mihi et tibi: do tibi et alteri, vt tu des tibi et alteri: do tibi et mihi, vt tu cures tibi et mihi dare alterum: do et facio tibi et mihi, vt tu dare et facere mihi et tibi cures alterum. Nolo quoad tales mixtas formulas ratione solius subiecti, aut solius obiekti, aut subiecti et obiekti simul vltius excurrere: nolo has formulas mixtas conditionaliaer, dialiter, aut impulsue eloqui: nolo mixtis in his formulis dupliciter coniungere modum et conditionem, modum et diem, modum et causam impulsuam, conditionem et diem, conditionem et causam impulsuam, diem et causam impulsuam: nolo tripliciter has formulas mixtas miscere cum modo, conditione et die; cum modo, conditione et causa impulsua, cum conditione, die et causa: nolo quadrupliciter in vna sola formula mixturam hanc cum his mixtis iamtum intuitu subiecti et obiekti formulis instituere: nolo alias circumstantiarum accessiones his formulis mixtis iunge-

E

re:

re: nolo omnibus et singulis his mixturis negationem tot vicibus, quot vndique possem, adicere: nolo mixturam hanc cum personis moralibus, aut collectiuis, ad manus fumere: nolo per tempora: nolo per singularem et pluralem mixturas prouocare; nolo ex *l. 60. pr. D. de cond. et dem. j. §. 46. l. de R. D.* euentus commiscere: iacto misilia centum mille Imperialium, si Esref Imperium Turcicum euertet: nolo omnes alios in aliqua lingua terminos, ad morem dandi faciendique vocabulorum, inter se coniungere, et vel eo solo infinities incedere: Sed istud tantum dico, si de sensu omnium harum similiumque formularum me quaeras: responsi loco feras petierim: vnus solius sensum si scias, singularum reliquarum vacua tuo pro arbitrato explere te posse: cum quot capita sint; tot etiam explicationes possint effingi, quæ si iam in casibus praeteritis mihi diiudicandae offeruntur, a me formari non debent, sed iuxta huius vel illius formulae saltem ductum enodari. Quis ergo formulis quatuor contractuum innominatorum regularium ordinariis, adeo abiecte plerumque habitis, tantam vim ac potestatem adiudicasset, vt ad eorum complexum omnis ferme iuris materia complanari queat. Excludat enim pace nostra FRANTZKIVS, in *comm. ad ff. b. t. n. 22.* non solum articulum: do vt des: ab his formulis, si possit, sequacemque in eo agnoscat IPSVM B. TITIVM, in *lib. IV. c. XIV. §. 5. IPae priu. Rom. Germ.* sed et idem faciat hicc FRANTZKIVS, ad *b. t. n. 41. seqq.* cum articulo: facio vt facias: cui TABOR, in *eliment. suis* addi meretur: omittat porro GROTIVS, de *I. B. et P. Lib. 2. c. 12. §. 3. n. 2.* articulum: do vt facias, refutatus in eo a PVFEND. de *I. N.*

et G. Lib. V. c. 2. §. 9. e contra defentus a D. NOODT. in *tr. de pactis et transact. cap. 9. p. 677.* imo reiiciat IO. FRIDERICVS GRONOVIVS, ex ignoratione iuris et civilis, et naturalis, palpanda omnes quatuor hos articulos in *not. ad istum locum GRO'TIANVM, ex editione BARBEYRACI, Latina: siue statuatur ad mentem CVLPISII, Exc. ad Grot. 6. §. 1.* omnia apud Romanos pacta aut statim in speciem contractuum incidisse, aut nulla plane pacta ab illis ostendi posse, quem eximie confutavit IO. NIC. HERTIVS, *Tom. III. Comment. et opusc. rarior. de paroem. iur. Lib. 1. paroemia VIII. n. 3.* vbi simul diuersitatem inter pacta de dando vel faciendo, vt rursus quid detur, vel fiat, vt pote contractus innominatos quandoque praecedentia, et inter hoc contractus ipsos innominatos solide determinat. Verbo: afferat, masculeque, aut minus, defendat B. LVDOVICI, in *vs. pract. distinct. iurid. ad tit. D. de pact. et t. D. de aestimat. dist. 1.* inter contractus nominatos et innominatos nullam amplius penes nos, vbi pacta etiam nuda firmam producerent obligationem, superesse differentiam, distinctionique inter contractus innominatos regulares et irregulares nullam omnino in foro hodie esse utilitatem: quid singula haec et longe plura omnia ad nos? qui vna cum GRO'TIO, vt recte BARBEYRACIVS, de eo in versione sua Gallica ad locum supra citatum id allegat, magis ad naturalem harum vocum significationem respicimus, quam vt eas cum Ideis solum Romanorum Ictorum comparemus. Vnde quoque in exemplis nonnullis superius datis aliquantisper ab earundem mente summo studio recessimus, innixi quodammodo opinioni TITIANAE,

NAE, in IP. priuata Rom. Germ. Lib. IV. C. XIV. §. 1. seqq. ab eo prolatae: formulas has magis iure gentium, quam ciuili, aestimandas esse: id quod tum demum elucescet, cum ad mentem NEGVSANTIANAM explicandam in subsequenti iam finali numero deferemur. Sufficit interea nobis, illud non in praecedentibus sic satis, reor, euicisse: quod IASO nasum habuerit sat subtilem, dum ei suboluit: ne ullum quidem dari, aut excogitari posse contractum innominatum regularem, qui non ad aliquem ad istos quatuor possit referri. Quod reliquum est, claudamus hucusque dicta ad sternendam nobis viam propter insequentia: insigni loco VLR. HVBERI, in prael. ad tit. D. de P. V. n. 7. vbi adeo, inquit, est incerta actio praescriptis verbis, ut applicetur ad omnes species causarumque figuras, in quibus aequitas actionem dari suadet, etsi nullum contractus, nequidem innominati principium agnoscat.

Applicatio haecenus dictorum ad enunciatum IASONIS, vna cum illius approbatione. Recensio vltior opinionis NEGVSANTIANAE EIVSQVE tractatus de poenitentia in contractibus innominatis, qui suppleri posset ex HOTOMANNO in nonnullis; cuius defensione nihilominus suscepta totum negotium adhuc magis perspicue explanatur, vna cum relatione eorum, qui de casibus iridicis scripserunt, quales sunt D. KOLSHORNIVS, D. STEOPHAS, B. LEIBNITIVS, LEVINHETA, et tot alii Casuistae sic dicti Lulliano Scholastici. Melioris vero notae his scholasticis sunt duo BERNOVLLI, MOYVRAEVVS, IMMIG, et alii relative adducti. Quibus ipsis thema hoc finitur, et vltior eius deductio promittitur.

IV. Vifis

IV.

Visis itaque intime iis, quae in formulis quatuor contractuum innominatorum regularium latent, prima quidem fronte euictum potius a nobis esse videri cui posset: *grasse IASONEM*, cum statuerit: *numerum quaternarium horum contractuum natura duce adaugeri haud valere*: postquam nos hac ipsa natura duce tot augmenta iis superaddidimus, vt illa innumera profus esse tam ratione obiecti, quam subiecti, atque formae probauerimus. Ast salua nihilofecius pro IASONE res est, si postrema illius verba, quibus dicit: *nullum dari, aut excogitare posse contractum innominatum regularem, quin ad aliquem istorum quatuor valeat referri*: comparemus cum enunciato eius primo, quo ait: *quaternarium illorum numerum augeri non posse*. Mens enim IASONIS in illo haec saltim est: primo prima esse quatuor istorum contractuum exemplaria, quae in duobus verbis; *do*: *facio*que: consistentia, repugnante natura, non possent amplius, quam quater, combinari, ita vt omne, quod ex illis oriretur, pro prole quidem eorundem tenendum foret, adeoque ad vnum alterumue illorum schema reduci deberet, neutiquam vero tanquam prima quoque aliqua mater, aut conspecies, iis adiungi. In quo suo asserto, si fundamenti loco combinationem ponamus, ita vt quatuor primas formulas nullo vocabulo augeamus, sed eas dicamus principales, reliquas vero solum secundarias et per additionem plurium vocabulorum ex illis fluentes, a vero haud latum unguem secessit IASO, licet formula-

mularum ex primis ortarum nos myriadas myriadum addidiffemus, aut in vnam solam istam coëgiffemus: cum ille neutiquam asseruerit: abbreviari has quatuor formulas non potuisse, si in solum articulum: Facio vt facias: danda quoque sub se complectentem, adeoque velut parentem omnium reliquorum, reductae fuissent: sed tantummodo defenderit: stante ista sententia, quod danda in his articulis distingui deberent a faciendis, vltra quadruplicem horum duorum combinationem et permutationem: rei nempe cum re; facti cum facto; facti cum re; et rei cum facto: pluries duo haec vocabula inter se transponi per impossibile nequiuisse, ita vt hoc semel stabilito omnes illi postea errauerint, qui noluisent differentiam inter articulum: facio vt des: ab articulo: do vt facias: agnoscere: cum, si haec natura duce non differant, quando ego quid ago, vt alter quid det: et ex aduerso: cum ego quid dem, vt alter quid faciat: opposita quoque iuxta se posita vnum idemque esse, quam auctissime adstrui valeret. Bene igitur sit in his singulis atque vniuersis manibus IASONIS? Ast qui nunc NEGVSANTIVM defendere debeamus, qui autumat: praeter contractus innominatos non tantum singulos ex statu personarum, iure item in re, atque ad rem orientes casus; verum etiam omnes reliquas causarum figuras, quam variantes etiam illae sint, per has formulas reformari, explicari, atque in compendium quoddam feliciter redigi posse: illud est, quod maiori longe difficultatis morbo laborare nobis videtur. Nihilominus tentemus etiam in hoc, quid valeant humeri, quid fer-

re reculent? Notior autem est *Huius ANTONII NEGVSANTII palmarius tractatus de pignoribus et hypothecis, prima vice Coloniae an. 1653. in forma 8va editus, quam vt longior illius mentio heic fieri debeat: cuius cum appendix saltem quaedam sit schediasma illud, quod de poenitentia in contractibus innominatis agit, et annexum habeatur Venetae editioni Coloniensem a. 1657. subsecutae: paucissimis solum illius contenta, huc spectantia, cum exterarum librorum editiones non in omnium manibus esse soleant, hoc loco liceat referre. Ea namque in opinione contra morem plerorumque Italarum HIC AVTOR constitutus est, vt conterraneorum quondam suorum Romanorum nempe veterum, leges, earumque cumulationem, non vsquequaque approbet, sed de illis vere statuat: cum non actu vno, sed longo temporis tractu prodierint, oportuisse eas in multis mancas mutilasque esse, id quod vel ex solo eo se nobis manifestaret, quod, cum per LL. primum X. posteaque XII. Tabularum origine Graecarum, et a Romanis tamen adoptatarum, paruus solum negotiorum numerus decidetur, qui Pontificum formulis, publica autoritate donatis, adhuc constrictior longe redditus fuisset, ita vt omne, quod non in his formulis certo nomine imperitum fuerit, pro nudo quasi placito, nullum firmamentum ciuile habente, esset declaratum, non potuisset non exinde subsequi perplexa prorsus Iurisprudentiae Romanae facies, ita vt solum quaesitum de aliquo negotio fuerit, an in Pontificum formulis, postero tempore FLAVIANI et AELIANI, iuris nomine conde-*

condecoratis, sit nominatum? non vero, vtrum de simplici et plano illud peractum, simplici etiam et plana aequitate decidi posset? vtut in Pontificali Codice et eum infecuto perpetuo Edicto Praetoris formulario nequidem syllaba esset nominatum. E quo vitio tandem per necessitatem in virtutem verso illud boni ortum traxisset, quod suam curtam suppellectilem peruiderint Romani, et, pro iniquo reputantes, si aliquid datum, aut factum foret, ei fini, vt quid iterum daretur, et fieret, haud quaquam illud adigeret alterum, vt fide se sua liberaret, introduxerint propterea contractus innominatos fatente ipso, **VLPIANO**, in l. 7. §. 2. *D. de pact.* eoque plus fecerint, quam omnibus suis pactorum vestitorum, et vel in continenti adiectorum, aut legitimorum, aut stipulatione roboratorum, aut liberatoriorum, aut iudicialium et extraiudicialium, aut, nesciret? quorum aliorum asfumentis. Etenim cum Romani facultatem **ICTIS**, per furtum Flavianum laesis, tandem dedissent, vt verbis pro natura cuiusque negotii praescriptis agerent, quippe vnde nomen huic actioni inditum foret, illi ipsi **ICTI** libertate sua hacce in leuamentum suppressi antea per formularium solenne populi, ipsiusque per **CORPVS FLAVIANVM** et **AELIANVM** laesi officii aduocatorum, adeo callide vsi essent, vt actionem hanc incertam ad omnes prope causarum figuras dextre applicuissent, eoque simul ansam **NEGVSANTIO** praebuissent, vt ei in suspicionem venerit: latere sub his formulis contractuum innominatorum et actiones praeciudiciales, et reales, et personales, e delicto

licto aut contractu orientes, et verbo: omnes causarum figuras, licet istae figurae vel sexcentis circumstantiarum Maeandris se depingerent. Perbelle hucusque **NEGVSANTIVS**: licet in nonnullis historiae momentis ex **FRANC. HOTTOMANNI**, *singulari libello, Commentariis eius in Cod. subiecto, tit. de pact.* eum supplere, non dicam, refutare, possem, quae breuibus excerpta videas in **B. G. BAYERI**, *Comment. ad ff. tit. de P. V.* magis tamen laudabiliter, etiam si haec supplementa, velut hoc non multum facientia, praetermissa finam, incessisset **NEGV-SANTIVS**, si vena sua Italica rem tam bene coeptam quoque finiisset: Verum enim vero cum posteritati hoc saltem saluam mouerit, et opus tamen ipsum ei deducendum reliquerit, alios nunc fontes adeam oportet, e quibus vacuum hoc eius expleam. Inficias nimirum iri non potest, apud Germanos minimum, si penes alias forte gentes illud nondum ita inualuerit, obtinuisse nunquam Romanorum palmariam conuentionum in nudas et non nudas diuisionem: e quo pronamne fluit, subdiuisionibus quoque earundem singulis idem illud accidisse, quales inter alias sunt conuentionum aut contractuum subdistinctiones in b. f. et stricti iuris tales, in nominatos item et innominatos, illorumque in consensuales, reales, verbales et litterales; horum vero in regulares et irregulares, atque sic porro, vna cum vltioribus supra recensitis subtilissimis pactorum nonnullorum differentiis, vti post eminentem in re Germanica **SCHILTERVM**, omnes eum subsecuti cordatiores, et quibus leiuileii obre-

F

ctatio

ctatio paululum exosa fuit, ICTI id euictum dederunt, ita vt ad oculum demonstrauerint, nominibus his singulis hodie non exprimi res et facta in effectu diuersa; sed omnibus nos aequipollenter vti posse, quamuis vltra hunc aequalem in eis obligandi effectum nemo sanus affirmauerit, contractum realem adesse, vbi nulla res interuenerit; aut litteralem abesse, vbi literae intercesserint: cum hac in parte nobis nulla Romanorum vocabulorum immutatio competat, nec bene federet, si non exactos, quamdiu ius ciuile inter nos subsidiarii loco valet, determinationum huius iuris apparatus in numerato haberemus, non aliter vt supra causarum patronis accuratum actionum discrimen mentale, etiam si in effectu vel conditione ex moribus, vel conditione ex canone, vterentur, sedulo cum KRESSIIS, atque HVBERIS, commendauimus. At cum tamen hodie omnis obligatio in consensu solo fundetur, et eapropter cadat omnis disputatio, vtrum permutatio cum articulo: do vt des: vna eademque sit? aut num articulus: do vt facias: hoc vel alio modo a locatione differat? quaeque his quaestionum fursuribus similia sunt; quoniam res omnis factumque omne licitum in allegatione ad parem effectum in iudicio consequendum apud nos sufficiens est, in aprium inde ponitur, NEGVSANTIVM eatenus optime sensisse, cum omnes contractuum nominatorum aliarumque conuentionum atque pactorum casus formulis contractuum innominatorum subiici posse hariolatus fuerit, postquam IPSE PAVLVVS, reciprocum mandatum formulae atque articulo: facio vt facias: iamtum submitit
 in

in l. 5. §. 4. D. de P. V. et nos supra quoque recipro-
cum commodatum, aut reciprocam locationem ex eius-
dem tituli legibus commemorauimus, vt his ipsis itare-
pertis concedat VLRICVS HVBERVS, in *prael.*
ad tit. D. de P. V. n. 6. in f. iuris alias ciuilis tenacissi-
mus: *contractus nominatos in effectibus assimilari inno-*
minatis contractibus, ad quos proxime accederent. His
ergo se absque vlla contradictione ita se habentibus, et
accedente eo, quod B. TITIVS, in *IP. sua priu.*
Rom. Germ. Lib. IV. c. XIV. §. 1. 2. 3. 4. et 5. adstruxe-
rit: *iure ciuili acceptos contractus innominatos non ad-*
mittendos, sed aut ad nominatos referendos, aut iure
Gentium solum censendos esse: nullus dubito, NEGV-
SANTIANAE me in hoc sententiae subscribere:
quod omnes Contractuum nominatorum casus ex articulis
quatuor innominatorum et formari, et enodari possint.
At qui idem mihi succederet in delictis, nec non in
sic dictis actionibus praeiudicialibus, realibus, omni-
busque reliquis causarum figuris? non viderem, ni ad
explicitam in numero dissertationis meae tertio conten-
torum iamtum vim ac potestatem, in formulis contra-
ctuum innominatorum sese exerentem, recurrerem.
Ista namque contenta nunc magis adhuc perspicue ita
contrahere potero: extra me et te, sic vt tu sub infinita
variatione naturali, artificiali, morali, indiuiduali, col-
lectiua, sexcentisque aliis figuris in scenam producaris,
nullos in mundo alios dari, inter quos iuridici quid ne-
gorii occurrere possit: te ergo atque me vbique ea sub
specie vi terminorum personalium generalissimorum,
in formulis complexorum repraesentandum esse, prout

F 2

casus

casus illud postulat. Dein vi ipsarum harum formularum, res sub dandis comprehendentium, et earundem proprietates sub factis continentium, omne illud quam latissime in illis exprimi, ultra quod in orbe nihil datur: substantias nempe eisdemque adhaerentes qualitates. Ulterius dum in vnaquaque formula quis permittit, vt quid sibi detur vel fiat ab altero, alter vero id actiue acceptet, passiuas sic quoque et actiuas proprietates qualitatesque, easque vel simplices, vel mille modis mixtas, hisce formulis includi, supra quas pariter in mundo nullae aliae occurrunt. Porro, dum per modum, conditionem, diem, causam impulsiuam, omnemque aliam circumstantiarum accessionem, quacunq; demum appellatione venientem, omne id his in formulis exprimitur, quod vnquam sub conceptum nuncupatorum ita in iure actuum minus purorum cadere potest, eoque ipso, si duae in vna sola formula latentes propositiones ad ductum §. 1. *I. de V. O.* a se inuicem separantur, actus quoque puri siue commissio- nis, siue omissionis, siue continui, siue interrupti, siue vulgares, siue solennes, siue in iudicio, siue extra illud celebrati, siue perfecti, siue imperfecti, adeoque vel validi, vel inualidi, siue interni, siue externi, siue veri, siue praeparatorii, siue inter viuos, siue mortis causa gesti, siue heic expressi, siue decies millies aliter exprimendi sub has formulas coguntur, nihil hoc etiam intuitu deesse iis posse, quod ad vniuersalissimum illis conceptum conciliandum pertinet. Tandem, cum affirmatio et negatio vigore *l. 60. pr. D. de cond. et dem.* consequenterue ex vtrisque mixtio illis adhae-

adhaereat, vel reliqua etiam in numero tertio demonstrata, compositio mixturaque ratione aut personarum, aut rerum, aut factorum, aut modorum, aut conditionum, aut dierum, aut causarum impulsuarum, aut accessionum, vi earundem formularum clarissimi sensus, denegari illis haud possit sole ipso meridiano clarius esse, omnes casus vel natura ipsa duce per incomparabile profecto hoc compendium produci, qui vel in tribus iuris obiectis, personis, rebus, et actionibus; aut iis etiam reiectis, in solis actionibus praeiudicialibus, realibus, personalibus contractuum delictorumque, reliquisque causarum figuris atque obligationum modis singulis et vniuersis sese produnt, et vel in iure diuino, aut humano hocque vel publico, vel priuato, ciuili, canonico, feudali, aut criminali, vel extra ius quoque in quotidianis hominum omnium factis actitatisque aut extirere, aut existunt, aut extitura vquam sunt. Cum igitur ex tam paruis initiis IASONIANIS adeo magnam excrefcere posse molem NEGVSANTIANAM manibusprehendamus, circumspiciendum nobis erit, numne dudum aliqui in id incubuerint, vt ex ruderibus illud suis, quod nos quaesiuimus, in lucem protraxerint? Vbi quidem inter recentissimos et laude sua dignissimos est D. D. DAN. KOLSHORNIVS, *Prof. E. Francofurtanus*, cuius prostat *Deutsches Corpus iuris typicum durch ideas und casus practicos nach Anleitung derer Pandecten, Francof. ad Oder. iamtum secunda vice publicatum an. 1722.* cui operi iungi autor hicce vult, IO. IOACH. SCHOEPFFERI *Synopsin ad Pandect.*

deft. a se illustratam, atque adeo nouiter *Francos. et Lips. an. 1717.* recusam. In praefatione autem corporis iuris typici commemoratur ab autore, quod alius quoque iuris Professor, isque REGIOMONTANVS, D. STEOPHAS, plures longe, his KOLSHORNIANIS, casus ad singulos Pandectarum titulos exarasset, atque adeo vterque, vt id de meo adiiciam, votum velut, quod iam *a. 1665.* GOTTFREDVS GVILIELMVS LEIBNITIVS, vir post fata etiam in Lipsiensibus per totum literatum orbem magno suo merito illustris, *in arte sua combinatoria, a. 1668. Lipsiae promulgata probl. 2. vsu VIII. p. m. 27. sqq.* conceperat, suo modo expleuisset. Sicut ergo et publico, et hisce viris merito gratulabar de eo, quod Iurisprudentiam in se satis abstractam ad casus magis iuuenibus in oculos incurrentes insigni cum fructu pertrahere conati essent; ita tamen, rem ipsam propius inspiciens, statim inueniebam, eos tam longe a scopo meo, quam ipsum LEIBNITIVM, in loco heic allegato recessisse, cum modus KOLSHORNIANVS nonnisi ille sit, qui vnumquemque iuris titulum legesque ad eum pertinentes pro archetypo habet, ad cuius normam suos casuum typos formet; LEIBNITIVS autem tam numerosa elementa ad casus suos effingendos adhibeat, vt ad ea rite inter se conferenda artis combinatoriae permutatoriaeque intima notitia requiratur, quae praeter Mathematicos, Algebrae quantitatum immersos, plerosque iurium qualitibus deditos fugit: loco cuius difficultatis, nostrae quatuor formulae solae Archetypae et Archicasus
velut

velut sunt, ad quod omnes reliquae leges earumque casus tanquam egypti referuntur, et in nostros articulos resolvuntur; id quod illud ipsum est, quod LEIBNITIVS, meliora edoctus, in loco multis post combinationem suam editam annis, ad ICtum KESTNERVM perscripto, et a nobis, in praefamine huius dissertationis speciatim relato, dixit: *se aliquando tabulas quasdam brevissimarum legum concepisse animo, ad speciem Decemviralium Romanarum, in quibus eluceret comprehensio omni casuum varietate per rationum amplitudines, tanquam indagine cineta, ut nullum esset allegationis, i. e. actionis, exceptionis replicatio- nisque cuiuscunque caput, cuius fundamentum in iis, tanquam in albo praetoris, digito monstrari non possit.* Nostrae enim Iuris Iustiniani quatuor contractuum in- nominatorum formulae pro re nata aut ab extensione sua reductae, aut aliis mille modis non extraneis, sed in ipsis habitantibus, variegatae Quatuorvirales illae tabulae, aut album ipsum Praetoris sunt, ad quod casus quicunque nobis sese offerens referri potest; id quod ab aliis scientiae nostrae locutis requirere velle fortean fuerit frustraneum. Ne mentionem ergo quidem facimus talium autorum, in efformandis casibus sollicitorum, qualis loco omnium BERNHARDVS LEVINHETA, monachus ordinis minorum in *comm. ad LVLLII artem magnam*, vna cum suis THOLOSANIS, MONCVRTIIS, GEMMIS, SANCHEZIIS, IVONIBVS et IZQUIERDIS est, quippe qui velut LVLLIANO-SCHOLASTICI CASVISTAE per suos

suos casus in terminis terminantibus, ratione saepius plus quam ridicula rem magis diffuderunt, ne plus dicam, quam ad centrum reducerunt. Ex aduerso optauissemus, vt ad manus nostras peruenisset *Dissertatio inauguralis* D. NICOLAI BERNOVLLI, cuius mentionem IPSE facit in *praefatione ad patrum sui, IAC. BERNOVLLI, artem coniectandi, Basileae, a. 1713.* praedita, vtpote in qua dissertatione specimen datum esse dicitur, quam feliciter ars combinatoria ad ius illiusque casus applicari possit: ast adeo felicibus nobis huc vsque esse non contigit, licet huius speciminis exquirendi ergo omnem adhibuerimus diligentiam, si interea quid hariolari licet, videmus sic satis ex *P. IV. quatuor capitibus artis coniectandi BERNOVILLIANAE*, quam foecunda horum doctorum primae magnitudinis ingenia sint, vsu et applicationem huius doctrinae etiam in ciuilibus, moralibus et oeconomicis producendi, qua in re vt vltiores progressus vna cum MOYVRAEO, et autore libri gallici: *essai d'analyse sur les jeux de hazard*: faciant, inprimisque modum determinandi casus per experimenta, cum autore artis cogitandi: *in c. 12. et seqq.* longius euehant, est, quod enixe optamus. Interea nostra haec intentio eo vsque non exporrigitur, vt illam artem combinatoriam, quae Mathematicorum filii propria est, per modum Arithmetices iuribus nostris applicare tentemus, nec eo etiam mens nostra in combinatione vulgari abit, quorsum tendere videmus non sine nostro gaudio DN. CHRISTOPHORVM IMMIG, vtpote a quo laboriosissimo sene *Dresdae a. 1720.* sequens edi specimen

men coeptum est: *Themis parallelo-axiomatica, seu materiae concordantes ex vniuerso iure, cuilibet superscripto axiomate, siue loco communi secundum principia harmonica verbotenus combinatae*: Quamuis enim, si laudabile hoc opus ad finem vsque ab eo perduci posset, Corpora Iurium tribus partibus breuiora, et permultis nominibus accuratiora haberi possent, si ex illis tandem vnum aliquod autoritate publica connexe elaboratum fingeretur systema, quod expectationi sapientum ex asse responderet: attamen nobis in nostra combinandi methodo, qua vnicuique iurium titulo vnam aut alteram ex nostris quatuor formulis simplicibus, aut mixtis, apponimus, et nihil in isto titulo contineri, quod non in vna alteraue, harum formularum, velut in Albo praetoris et Archicasu, indicari queat, monstramus, vnum idemque est, siue Codex Turcicus, siue Ludouicianus, siue Iustinianus nobis proponatur, cum ad omnia haecce iura, et si vel sexcenta alia inuenirentur, quadrent res, quadrent facta, quadrent personae, quadrent circumstantiae conditionis, modi, diei, causae impulsivae, omniumque aliarum accessionum, quae rem circumstant, idque omne ratione tam facili, naturaque ipsa tam prona duce, vt nihil pronius et promptius adinueniri posset. Mereretur proin materia, vt heic longius deduceretur, et illustraretur potissimum exemplis omni ex iuris materia petitis, quale v.g. *Illustr. BERGERI in annotat. ad Lancellott. p. 49. in f.* adductum illud est, quando ait: *etsi officia ecclesiastica non sint in commercio, ratione potestatis sacrae internae, quae confertur; Sunt tamen in commercio ratione laboris*

ris, quem promittit accipiens, et mercedis, quam promittit conferens, ita ut hoc respectu quasi locatio conductio et quasi contractus, facio ut des, et do, ut facias, intercedat. Digna, inquam foret, haec materia, ut vna tela heic pertexeretur, et imprimis GEORGII VIVIENNI, Doctoris et Aduocati BRABANTI-
 NI, *schematicus institutionum, Coloniae a. 1571.* primum, posteaque *Brusseliis 1590. cum dissertatione EIVS de naso iuris cereo* excusus heic induceretur, vbi inter alia exempla recenset etiam illud de EVATHLO, qui PROTAGORAE discipulus erat, et promiserat huic suo praeceptori pro institutione oratoria honorarium tunc exsoluendum, quando primam obtineret causam: qui, cum postea nullam causam defendendam susciperet, PROTAGORAEque suum poscenti coram iudicibus responderet: *vel causam obtinebo, vel causa cadam: si illud, nihil soluo ex decreto iudicis; si hoc: nihil do ex pacto: a PROTAGORA autem hoc inuerso dilemmate repulsus: aut causam obtinebis, sic ex pacto soluis; aut causa cadis, sic ex sententia iudicum das:* magistratui ansam dabat, ut pro inextricabili hanc causam declararet: In quod debile decisum inuehit VIVIENNVS: o miseri Areopagitae! si solum articulum iuris: facio ut des: in sua energia nosceretis, sciissetis etiam: quod de causa tertii, necessario suscipienda, pactum explicandum fuisset: facio te oratorem, ut des mihi palmarium, si primam alicuius Clientis causam, necessario in te suscipiendam, obtinueris, vbi et ipse PROTAGORAS pro tertio habitus fuisset, si in alia causa EVATHLI defensionem


nem sibi expetiisset. Perbellum profecto Schema articuli compositi ex modo et conditione, optime simul enodatum et longiori excussione dignum! At cum quilibet videat, totum thema nostrum longiores sibi poscere terminos, quam ut disputationis huius cancellis includeretur, hinc alia Dissertatione, cum Deo et die publicanda, practicam huius thematis partem explicabo, monstraboque: verissimum esse assertum BEYERIANVM tit. D. de P. V. adiectum: *actionem praescriptis verbis vel nullam esse hodie, vel Omnes actionum species sub se comprehendere*: nam etsi etiam actiones in factum civiles delicta, ut iuxta §. f. I. de L. Aquilia id faciunt, non persequerentur: attamen haec ipsa delicta nostris formularum casibus se non subtraherent, quibus dicitur: ego te ob delicta tua punio, ut tu melius facias tuum officium, aut e societate extirperis: seu facio ut facias. Cui exemplo, quoad contractum matrimonialem et delictum simul, CASP. SCHIFORDEGHERVS in appendice ad ANT. FABRVM, edit. Vratislau. secund. an. 1619. de in factum actionibus th. 19. p. 43. l. ad latus iungit illud: *retineo tuam filiam, primo nuptiarum die ut vitiatam a me repertam in matrimonio, si tu tringinta mille thalerorum dotis loco mihi soluas: i. e. facio si des.* Autor tamen propterea nemini sum, ut ob talem applicationis facilitatem iura quaecunque suae patriae sibi imprimenda haud curet, cum certum eum esse iubere possim, nullam nostrarum formularum, quam facilis etiam earundem admotio scientibus sit, alicui casui applicari posse ab eo, qui nesciret, quid v. g. sit mohatra, quid admodiatio, quid cambium, quid

contractus libellarius, quid contractus preciarum, quid contractus vitalitius, quid contractus affecurationis, quid contractus suffragii, quid socida? vtut haec singula contractuum innominatorum exempla, innumeraeque iurium diuersorum alia per nostras formulas via vel facillima se nobis imprimant. Quam breuem rectumque omni cum themate iuridico incedendi tramitem cum diulgare prius nolim plene, quam ipse eum per promissam alteram disputationem meam publici iuris fecero, expectabo interim a manibus NEGV-SANTIANIS hecatomben.

T A N T V M.



MC.



h. n. II, 360^a
h. 70, 10.

X 2400723

II k
45

DISSERTATIONEM INAUGV
DE

ARTIFICIO
OMNES IN PRAXI, VT
AIVNT, EVENIENTES CASVS RITE
ENODANDI, IMO ET PROPRIO ILLOS MARTE
FORMANDI, TOTAMQVE ADEO IVRIS
ILIADA NVCI VELVT INCLVDENDI

IDQVE
SOLA OPE FORMVLARVM QVA-
TVOR, DICTORVM ITA CONTRACTVVM
INNOMINATORVM REGVLARIVM, OCCASIONEQVE
ILLORVM, QVAE MAGNO NVMERO SVB
IIS LATENT

PERMISSV
INCLYTI ICTORVM ORDINIS LIPSIENSIS
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI

D. XXX. OCTOBR. A. MDCC XXVII.
PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT

FRANCISC. GVILIELMVS ROMANVS
LIPSIENS.

BIBLIOTHECA
PUNICKAVIANA

LIPSI AE
LITERIS IMMANVELIS TITII.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (EMERSON)

